ALLOCUTIO
SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI
PII
DIVINA PROVIDENTIA
PAPÆ VI.
HABITA
IN CONSISTORIO SECRETO
Feria ſecunda die XI. *Septembris* MDCCLXXV.



ROMÆ, MDCCLXXV.

Ex Typographia Rev. Cameræ Apoſtolicæ.



VENERABILES FRATRES.

QUAMQUAM plurimæ amoris causæ ex intima mutuâque Nostra cum Venerabili Fratre JOANNE CAROLO Episcopo Corneliensi voluntatum æque, ac propinquitatis conjunctione, exortæ, Nobis assiduè animo obversarentur, Nosque impellerent, ut eximiis illius in Nos benevolentiæ significationibus grati animi vices redderemus, eumque amplissimi Vestri Ordinis dignitate ornaremus; tamèn actioni huic Nostræ moram attulit cogitatio, sive timor quidam, qui Nobis inhærebat, ne sectari videremur Domum Nostram, & ne magis

humani affectus, quam meritorum; quibus tribuendum illud præmium esset, rationem haberemus. Propterea illo posthabito, ne ad primitias accederet, prius alios Præsules, nulla sanguinis communione Nobis adstrictos, ad hunc honoris gradum cooptavimus. Ad hujusmodi consilium ineundum inducti etiam fuimus præclaro Jacobi exemplo, qui licèt Joseph & Beniamin ceteris Filiis haberet cariores, divino tamèn spiritu ductus in hæreditate, ac benedictione, non habuit potiores. Verumtamèn alia ex parte magnoperè veremur, ne si Virum Nobis conjunctissimum, à quo ab Adolescentiæ Nostræ flore in Urbem accersiti fuimus, contubernio excepti, Filii loco habiti, diutiùs negligamus, in justam multorum reprehensionem incurramus. Hanc acerbitatem ferè exprobrari Nobis putamus gravissimis illis Chrysostomi verbis: *Si quis propinquos genere, atque affinitate conjunctos aspernatur, quo pacto erit in alienos clemens? Nonne vanitati, judicio omnium, erit obnoxius, si alienos beneficiis fovens, Propinquos sua immanitate despiciat*? Hinc in re adeò ancipiti incertum ac vacillantem animum collegimus, & iteratis precibus Deum imploravimus,

ut

ut trepidationi huic noſtræ ſuccurreret, & omnem deliberandi metum, ac dubitationem depelleret. Tum igitur divina ope freti ad inſpiciendam Avunculi Noſtri Vitæ rationem omnem aggreſſi ſumus, atque accuratè ſcrutata ejus indole, provecta Ætate, diuturna Epiſcopalis muneris perfunctione, nihil ſanè deprehendimus, quod Nos a Cardinalatus eidem conferendi cogitatione removeret. Subjiciemus hæc ipſa, Venerabiles Fratres, judicio veſtro, atque hunc in modum exponemus, ut ille idem modeſtiſſimus Vir, ſi adeſſet, & audiret, improbare non poſſet. Poſt traductam apud egregios Juriſperitos, ac Judices plenam ſtudii, ac laboris vitam, fuit a ſan. mem. Benedicto XIV. ad Epiſcopatum Botrienſem, & Suffraganeatum Veliternum promotus, cum fere independenti illius Diœceſis regimine. Adeò cautè direxit greſſus ſuos, adeòque ab eodem Pontifice in eo munere per octo annos gerendo, probatus eſt, ut nullis præeuntibus officiis, translatus fuerit ad Eccleſiam Cornelienſem: Eccleſiam amplam, atque illuſtrem, quam plures Cives Noſtri Cæſenates multa cum laude antea tenuerunt; quos inter ſingularem in modum præ-

luxit

luxit Hieronymus Cardinalis Dandinus in Republica Litteraria notiſſimus, quem alii poſtmodum Cardinales in eadem obtinenda, ſunt conſequuti. An tanti Pontificis expectationi Joannes Carolus reſponderit, intelligunt omnes, qui publica ab eo excitata monumenta inviſerunt, qui perſpectam illius Cleri diſciplinam habuerunt, qui norunt Populos illos per finitimas Ditiones diviſos, ſine turbis, ſine offenſione in tam variis hominum cupiditatibus, tam temperatè ab eo contineri, duaſque res natura & moribus diſſociatas apprimè copulari, ſcilicet OBSEQUIUM & LIBERTATEM. Ab Eccleſia ſua, quam a quatuor & viginti annis adminiſtrat, nunquam niſi ſemel diſceſſit, idque ipſo Epiſcopali officio adductus, nimirum ut Apoſtolorum Limina inviſeret, ſuæque Villicationis rationem redderet. Ferè quotannis ſuam peragravit Diœceſim, ac ſi aliquando ſubſiſtere in ipſo peragrandi curſu, articulorum dolore cogeretur, ſimul ac imminui vim morbi animadverteret, fractis adhuc viribus, pedibuſque labantibus, interceptum iter, animi ardore ſuſtentatus, repetebat. Hæc cum omnibus nota ſint ac pervulgata, nolite putare ad Avunculi No-

ſtri

ſtri laudationem a Nobis eſſe allata; ſed ut in legum, quas ante oculos habemus, ſeveritate aliquam animi tranquillitatem nanciſceremur. Valdè miſeri ſanè eſſemus, ſi quod in aliis improbamus, in Nos ipſi inverecundè admitteremus. Nos Hierarchis Fratribus Noſtris interminamur Magni Gregorii ſententiam, *ne magis honorent Conjunctos, quam Dominum, ne amore propinquitatis Eccleſiæ facultatibus ditentur, & in altitudine Ordinis cumulentur abundantia ubertatis, ne denique temporali Dignitati præferant eos, quos carnali affectione complectuntur.* Quæ igitur Nobis eſſet excuſatio, ſi quod voce prædicamus, opere rejiceremus? Sed ut ommittamus alia quamplurima, quæ longa, ac multiplici experientia, & cum illo conſuetudine comperta habemus, cum ex paucis, quæ jam commemoravimus, ſatis perſuaſum Nobis ſit, etiamſi nihil ad Noſtram cum Epiſcopo Cornelienſi conjunctionem reſpiceremus, eumdem ſua ipſius Virtute promereri, ut ad ampliſſimam Cardinalatus Dignitatem evehatur; idcircò eum die XXIX. Maii proximè præteriti Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem creavimus, ac in pectore reſervavimus, & palam hodiè proferre,

ac declarare constituimus. Verùm antequam irrevocabilem declarationem pronunciemus, Vestra suffragia, VENERABILES FRATRES, requirimus, quæ ut liberè rectèque proferatis, valdè cupimus, & quantum possumus Vos in Domino obsecramus.

Quid Vobis videtur?

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, ac Nostra, declaramus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyterum Cardinalem JOANNEM CAROLUM BANDI Episcopum Corneliensem, cum Derogationibus, & clausulis necessariis, & opportunis.

In Nomine PATRIS ✠, & FILII ✠,
& SPIRITUS SANCTI ✠. AMEN.

ac declarare conſtituimus. Verùm antequam irrevocabilem declarationem pronunciemus, Veſtra ſuffragia, VENERABILES FRATRES, requirimus, quæ ut liberè rectèque proferatis, valdè cupimus, & quantum poſſumus Vos in Domino obſecramus.

Quid Vobis videtur?

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ac Noſtra, declaramus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyterum Cardinalem JOANNEM CAROLUM BANDI Epiſcopum Cornelienſem, cum Derogationibus, & clauſulis neceſſariis, & opportunis.

In Nomine PATRIS ✠, & FILII ✠, & SPIRITUS SANCTI ✠. AMEN.

ac declarare constituimus. Verùm antequam irrevocabilem declarationem pronunciemus, Vestra suffragia, VENERABILES FRATRES, requirimus, quæ ut liberè rectèque proferatis, valdè cupimus, & quantum possumus Vos in Domino obsecramus.

Quid Vobis videtur?

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, ac Nostra, declaramus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyterum Cardinalem JOANNEM CAROLUM BANDI Episcopum Corneliensem, cum Derogationibus, & clausulis necessariis, & opportunis.

In Nomine PATRIS ✠, & FILII ✠,
& SPIRITUS SANCTI ✠. AMEN.